

Omnia enim, Raymunde, tua; a te cuncta profecta,
 Ad te unum pariter cuncta opus ut redeant.
 Si qua mihi hinc veniet, non est mea, gloria tota
 Illa tua est; illam, si veniet, referam.
 Qualis qui rarae per curva foramina terrae,
 Perque sinus cæcos humor ab oceano
 Insinuat sese, paullatim & factus aquæ fons
 Muscoso rupes prosilit e silice,
 Atque aliis per iter lymphis augetur, & amnis
 Magnus alit magno flumine Naiadas;
 Multas ille licet per gentes, multa per arva
 Actus multiplici errore viæ properet,
 Rursus ad oceanum declivi gurgite fertur,
 Et magno acceptas fœnore reddit aquas.
 Tu modo ne spernas. Utinam natura dedit
 Mi vires; tardus non ego te sequerer
 Avia lustrantem Pindi juga; nec tibi certe
 Dedecori hæc umquam nostra Thalia foret;
 Parva sed ingenti patris se conderet umbra,
 Parva sub ingenti; non tamen illa minus
 Et culta, & florens; quamvis tu carmina condis,
 Concita queis iterum saxa coire queant
 Thebarum in muros, stupefactaque flumina cursum
 Sistere, & auritis frondibus annuere
 Per Rhodopen silvæ reptantes, per gelidum Hemum,
 Leniri ac virides Eumenidum colubræ.
 Testes Parrhasiæ nutantes vertice lauri,
 Dum Latia cantas Arcas in Arcadia.
 Cur tamen (heu raptum musis decus!) hæc premis atra
 Sic male nocte? nigris cur tegis in latebris
 Abdita, nec luci donas? Sperabat Homerus,
 Dum comes it magno Virgilio Elysias
 Per valles, latia per te procedere palla,
 Junctum Anchisiadi Dardanio Æacidem.